

1) Vrgl. I, Register.

1520 ? Juli 30. U. Fabri III 202 Nr. 63.

1520 K. * ? A. Eigen d. j. 206. III 202 Nr. 64. I 206.

Oswald Myconius¹⁾ an Vadian.

(Zürich.) 1520. Juli.

Luzern 1521

Näf II 89, An. 121

Bericht über die erfolgte Mahnung eines Schuldners. Erwartung einer neuen Auflage des Pomponius Mela. Ein Brief von Glareanus.

S(alutem). Quam gratæ fuerint mihi literæ tuæ, Vadiane doctissime, tu ipse perpendas velim, qui scis, quo animo amicus sit, si quid ab

amico et optimo et amicissimo tale acceperit, quale tu commisisti. Solent huiusmodi committi res non extremis in amicitiae albo, meo quidem iudicio; nam nemo lubens pro se, taceo pro aliis, subit tale negotium. Quapropter non committitur nisi his, qui ipsi facerent, si scirent acceptum esse, etiamsi non iuberentur. Quicquid igitur est, quod mandasti, libentissime confeci; plurimum gaudens, quod eum me iudicasti, cui isthaec imponerentur, ut fierent. Ideo sic res acta. Adivimus statim, ut literae tuae redditae sunt, hominem. Invenimus placidum atque debitum agnoscentem, promittentem autem (si quoquo pacto nummi possent corradi) ante finem Helvetici conventus sese daturum, quod petieramus. Finis brevior erat, quam putaveramus, quamobrem nihil tunc ad te missum. Statutum fuit, rem peractum iri ad proximum concilium; et hoc tam breve fuit, ut nihil peregerimus. Interim hic tabellarius ad nos venit a casu; quem dum adivimus municipem tuum et recta via istuc iturum, iterum hominem convenimus, qui respondit bona fide, intra quatuordecim dies se pecuniam debitam missurum. His contenti digressi sumus ab eo. Faciam ego interea temporis, quae mea sunt. Sed de hac re satis; spero enim te brevi solutum iri. Ne autem hoc nescias: res omnis agitur cum defuncti fratre; nam et pater mortuus est. Et quod solutio tam protrahitur, in causa est patris viventis prodigalitas, quam nunc filius unicus absolvere cogitur. — De commentario in Melam audivi te adornare novam impressionem. Vide, ut et brevi et locupletatam habeamus. Non enim mediocri gaudio ipsam expectamus. Tum et aliud quidpiam in manibus te habere, rumor ad nos advexit; illud quoque, quicquid est, volumus in lucem quam citissime prodire; coniectura enim est nihil esse, nisi quod et usum habeat et iucunditatem. Caeterum quod de literis scripsisti frequenter missitandis, fac ut perficias; nihil nanque potest mihi gratius evenire. Accepi hoc die, quo haec scripsimus, literas a Glareano nostro, nihil non boni de Vadiano continentes. Opto ut vos ambo lumina Helvetiae nostrae felicissime et diutissime nobis superstites sitis. Vale, eruditissime amice, et me ama, imo redama; nam mirum, quam te colam et observem. Quod Conradus tibi de Livio dicet, rogo facias, si... Kalendas Augusti....

Die letzte Zeile des Briefes bis an wenige Spuren abgestossen.

Clarissimo viro atque doctissimo Ioachimo Vadiano, oratori, poetae et medico observando, suo amico.

(In) Sancto Gallo.

1) Vrgl. I, Brief 105.